Dc 1650

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000001

3912

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000002

39

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000004

3912

PROLEGOMENA

IN

APHRAATIS SAPIENTIS PERSAE

SERMONES HOMILETICOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

C. I. FRANCISCUS SASSE

RHEINENSIS.

BIBL.
SOC. ORIEN.
GERM.

LIPSIAE.

TYPIS G. KREYSINGII.

1878.

VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO

LUDOLPHO KREHL

PHILOSOPHIAE DOCTORI LINGUARUM ORIENTALIUM IN UNIVERSITATE LIPSIENSI PROFESSORI P. O.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000007

I.

De vita Aphraatis sapientis Persae a scriptoribus Syriae veteribus quoad adhuc scimus nihil fere memoriae proditum est. Vetustissimum quod de sapiente Persa exstat documentum invenitur in epistola Georgii episcopi Arabum a. 714 p. Chr. n. ad presbyterum quendam nomine Iosue missa, quam V. Ill. P. de Lagarde in *Analectis syriacis* p. 108 sqq. primus e codicibus manuscriptis edidit.[1]) Sed iam Georgius nec nomen nec dignitatem ecclesiasticam huius viri, quem sapientem Persam ubique nominat, pro certo affirmare se posse confitetur et utrum Nisibi an alia in urbe vicina vitam degerit dubius haesitat. „Quod fuerit", inquit (Wright, l. c. pref. p. 20.), „axioma, id est, dignitas eius in hierarchia ecclesiastica vel quod nomen vel domicilium eius, fide dicere non possumus. Neque enim ipse haec aut quidquam horum loco ullo libri quem composuit nobis indicavit, neque alio loco adhuc scripta haec invenimus, neque a viro qui proprie ea scivit didicimus". —

Barbahlul scriptor syriacus qui saeculo X° lexicon syriacum confecit sapienti Persae nomen Aphraatis[2]) fuisse testatur[3]) et

---

1) Partem huius epistolae qua de sapiente Persa agitur W. Wright, The homilies of Aphraates, pref. p. 19 sqq. ad codicum mss. fidem typis denuo exscripsit.

2) Nomen propr. ܦܪܗܛ vel potius ܦܪܗܘܛ est persicae originis. Compositum est ex praepos. pers. فر sive فرا = pro, prae, et هاد, quae radix apparet in verbo pers. نهادن = ponere, collocare, ita ut nominis significatio sit: praepositus, dux. Forma ܦܪܗܛ — quae usitatissima est, quum ܦܪܗܘܛ apud solum Barhebraeum reperiatur — ad graec. Ἀφραάτης formata est. — De aliis viris idem nomen gerentibus vid. Vullers, lex. pers. II, 673, et Wright, l. c. pref. p. 7.

3) „Aphraates cuius in libro *Paradisi* mentio fit est sapiens Persa secundum traditionem."

cum eo scriptores syriaci Elias Barsinaeus [4]) (qui floruit saeculo XI⁰), Gregorius Barhebraeus [5]) († 1286), Ebediesus Sobensis [6]) († 1318) consentiunt. In libris manuscriptis porro vetustissimis operum suorum scriptor noster ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ (i. e. Dominus Jacobus) nominatur atque ex adnotatione marginali quam Wright in catalogo codd. mss. Musei Britannici publici iuris fecit [7]) concludere licet, primo eum nomen Aphraatis gessisse, postero vero tempore, quum ad honores ecclesiasticos

4) „Anni domus Adam secundum sententiam Aphraatis sapientis Persae.“ Wright, l. c. pref. p. 38. (ibid. l. 14 pro ܦܪܣ leg. ܦ. cf. p. 477, 15.).

5) „Et tempore huius (i. e. Papae episcopi Seleuciae) innotuit sapiens Persa cuius nomen est Pharhâd, qui scripsit librum admonitionis et viginti duas epistolas secundum literas alphabeti ordinatas.“ Gregorii Barhebraei chronicon ecclesiasticum edd. Abbeloos et Lamy. Lovan. 1877, III, p. 33. — Praeterea Wright (l. c. pref. p. 2, 3.) hunc quoque locum ex Barhebraei chronico eccl. (I, p. 85) affert: ܐܬܝܕܥ ܕܝܢ ܐܘܦ ܚܟܝܡܐ ܒܘܙܝܛܝܣ ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܬܪܝܨ ܫܘܒܚܐ ܘܟܬܒ ܟܬܒܐ ܕܬܚܘܝܬܐ (i. e. „Innotuit etiam sapiens Buzitis sapiens Persa qui est orthodoxus et scripsit librum demonstrationum“), et ad haec verba addit: „It does not require much reflection to perceive that Būzīṭīs is an error (perhaps of some early scribe) for [ܐ]ܦܪܗܛܝܣ.“ Non recte quidem; nam in Barhebraei operum codd. mss. Cantabr. et Oxoniens. sic legitur hic locus: ܚܟܝܡܐ ܦܪܣܝܐ (cod. Oxon. ܐܘܦ) ܐܦ ܒܘܙܝܛܝܣ. ... (vid. Chron. eccl. II, p. 866 et 922, 923.), unde Barhebraeum Buzitim a scriptore nostro distinguisse patet.

6) „Aphraates multum benedictus sapiens Persa composuit duo volumina nec non sermones ordine literarum alphabeti digestos.“ Jos. Sim. Assemanus Bibliotheca orientalis Clementino-Vaticana, III, 1. p. 85.

7) „Sapiens Aphraates est Jacobus episcopus monasterii Mar Matthaei.“ Catalogue of Syriac manuscripts in the British Museum, by W. Wright. Lond. 1871. II, p. 401, col. 2. — Monasterium Mar Matthaei, quod etiam monasterium Kuchtae vocatur (Barhebr. Chron. eccl. III, p. 67.), situm erat in monte Elpheph haud procul a Mossul. Teste Assemano (Bibl. orient. II. Dissertatio de Monophysitis s. v. Monasterium S. Matthaei.) „olim sedes fuit metropolitae Ninives, qui et metropolita S. Matthaei dicebatur, et primum a maphriano locum inter orientales episcopos tenebat.“

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000010

esset provectus, hoc nomen secundum Syrorum consuetudinem Iacobi nomine permutasse.

Tempus quo vixit Aphraates ipse nonnullis homiliarum suarum locis nobis indicavit. Dicit enim (Wright, l. c. p. 440, 17 sqq.), decem priores homilias anno 648 aerae Graecorum (i. e. 336/7 p. Chr. n.), duodecim alias a. 655 aer. Graec. (i. e. 343/4 p. Chr. n.), ultimam homiliam a. 656 aer. Graec. (i. e. 345 p. Chr. n.) se composuisse (l. c. p. 507, 10, 11.). Quum autem — id quod ex summa eius sacrarum literarum scientia nec non ex tota homiliarum natura atque indole manifestum est — tempore quo scripta sua exaravit iam vir esset corroboratae aetatis, circiter a. 280 p. Chr. n. natum eum esse existimaverim.[8]) Quo vero loco in lucem sit editus et utrum a prima infantia in fide christiana versatus sit an postea ex idolorum cultu ad eam conversus, omnino nescimus. De tempore denique et modo mortis eius item nihil scriptum exstat.

Quod vero ad dignitatem ecclesiasticam attinet qua functus est, adnotatione illa quam modo (p. 6[7].) commemoravi[9]) affirmatur episcopum eum fuisse in monasterio Mar Matthaei. Quae sententia optime probatur his verbis in epistola synodica (homil. XIV.) scriptis: „Etiam quod attinet ad sanctam manuum impositionem quam homines a nobis accipiunt, de sufficientia solius impositionis inter se contendunt“ (p. 268, 16 sqq.), nec non argumento homil. X, qua agitur de officiis eorum qui „principes sunt gregis“ (Christianorum) (p. 191, 1.). — In Syria quoque orientali vitam Aphraatem degisse atque in Persarum ditione fuisse multis ex causis elucet. Nullo enim homiliarum suarum loco Arianam haeresin quae tempore quo vixit totam Syriam occidentalem perturbabat commemorat, sed Marcionitarum, Valentinianorum, Manichaeorum sectas gnosticas quae tunc in Syria praecipue orientali florebant acriter reprehendit (p. 51, 5 sqq.). Saporis porro regis Persarum

---

8) Inde elucet, quod iam Georgius episcopus recte adnotavit (cf. Wright, l. c. pref. p. 22, 3 sqq.), falso haberi Aphraatem discipulum Ephraemi Syri quem constat a. 373 esse mortuum.

9) Cf. etiam Wright, Catalogue II, p. 896, c. l.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000011

persecutionem Christianorum saepius conqueritur (in hom. XXI et XXIII.) et nonnunquam secundum annos regni huius regis tempora computat (p. 305, 2; p. 507, 12.).

Quum denique e multis homiliarum locis (ex. gr. p. 151, 15 sqq; p. 345, 1 sqq.) in statu monastico Aphraatem vixisse appareat, praeter dignitatem episcopalem etiam munere abbatis monasterii Mar Matthaei functum eum esse verisimile est. —

Praeter ea quae adhuc in medium prolata sunt neque ex ipsis homiliis neque ex aliis scriptoribus accuratius quidquam de vita Aphraatis sapientis Persae comperiri potest.[10])

Cuius miri silentii quod scriptores syriaci de Aphraate observant praecipua fuit causa, quod tempore iam pervetusto ille cum Jacobo episcopo Nisibeno est confusus itaque ipsum nomen eius iis qui de vita eius accuratiora quaedam disquirere potuerunt non iam fuit notum. Accedit ad hoc, quod praeter locos nonnullos obscuros qui cum fide christiana non convenire videbantur certe sententiae rabbinicae in homiliis saepe obviae (vid. infr. p. 11[6].), et sicut V. Ill. Noeldeke (in ann. Göttingische gelehrte Anzeigen. 1869. p. 1522.) existimat, etiam sermo syriacus purus et vocabulis ac constructionibus peregrinis raro commixtus homiliarum propagationi magno fuerunt impedimento, quare etiam auctoris nomen et vitae condicionem magis magisque in oblivionem abiisse apparet. —

---

10) Aphraates monachus de quo Theodoretus episcopus Cyri in hist. rel. (ed. Schulze, III, 2. p. 1175—1185.) et in hist. eccl. (ed. Gaisford, IV, 25, 26.) agit non idem est ac scriptor noster. Narrat enim Theodoretus eum apud Persas natum, quum „popularium suorum impietatem exsecratus esset religionemque exteram patriae praetulisset“ (hist. rel. p. 1175.) e Perside effugisse et primo Edessae vixisse, postea Antiochiae. Qua in urbe collocutionem eum cum imperatore Valente (circ. a. 375.) habuisse, et se ipsum adolescentulum (i. e. circiter a. 400.) ibi eum visitasse.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000012

II.

Scripta Aphraatis omnia a. 1869 Londinii primum e codd. mss. edita sunt a Guilelmo Wright viro de literis syriacis meritissimo [1]). Sunt viginti tres sermones homiletici, omnes excepto quidem ultimo ordine literarum alphabeti syriaci digesti. Aphraates ipse hos sermones ܬܚܘܝܬܐ i. e. „demonstrationes, institutiones“ appellat (p. 172, lin. ult.) atque hoc nomen iis etiam et in codd. mss. et in epistola Georgii episcopi ubique datum est.

In editionibus et textus syriaci et versionis armeniacae, de qua infra (p. 23 sqq.) sermo erit, homilias praecedit epistola viri cuiusdam qui ex Aphraate petit, ut fide christiana se instituat animumque suum dubitationibus perturbatum quietum reddat. Qui vir in versione armeniaca vocatur, falso quidem, Gregorius Illuminator — qui fuit clarissimus ille Armeniae apostolus atque a. 332 p. Chr. n. e vita decessit —, e manuscriptis autem syriacis nomen eius cognosci non potuit, quum primae epistolae lineae in iis essent erasae [2]). Sed sine dubio vir ille nomen habuit Gregorii — quare translator armeniacus ut cum Gregorio Illuminatore eum confunderet est adductus —

---

1) The homilies of Aphraates, the Persian Sage. Edited from Syriac manuscripts of the fifth and sixth centuries, in the British Museum. Vol. I. The Syriac text. — Ex hoc opere V. Ill. G. Bickell octo homilias (I, II, III, IV, VII, XII, XVIII, XXII.) praemisso brevi prooemio de vita et scriptis Aphraatis germanice vertit in „Bibliothek der Kirchenväter“ n. 102 & 103. Kempten 1874.

2) Secundum versionem armeniacam tale fuit initium epistolae: „Ego, mi amice, interrogationes et quaestiones ad te misi propter necessitatem meam quae mihi fuit interrogandi te quaestiones meas. Tu ne renuas mihi (sc. audire me); nam ob multas res provocaverunt me cogitationes meae, ut ad te scriberem, et tu aperi....“

et, id quod e multis homiliarum locis [3]) clare apparet, sicut Aphraates in statu monastico vixit. —

Homiliae ipsae, quae maxima ex parte certa ratione connexae sunt et interiore quodam nexu inter se continentur, ad formam epistolarum redactae sunt atque in universum in doctrinis ecclesiae christianae exponendis ac defendendis et in iis officiis explicandis versantur quae virum vere christianum adornant. Inscriptiones earum hae sunt:

I. Demonstratio de fide.
II. De caritate.
III. De ieiunio.
IV. De precatione.
V. De bellis.
VI. De monachis.
VII. De poenitentia.
VIII. De resurrectione mortuorum.
IX. De humilitate.
X. De pastoribus (i. e. de iis qui animos regunt ac moderantur).
XI. De circumcisione.
XII. De paschate.
XIII. De sabbato.
XIV. Deprecatio (discordiarum).
XV. De distinctione ciborum.
XVI. De gentilibus qui sunt loco populi (Israelitarum).
XVII. De Christo Dei filio.
XVIII. Contra Iudaeos de virginitate et sanctitate.
XIX. Contra Iudaeos dicentes fore, ut denuo congregentur.
XX. De sustentatione pauperum.
XXI. De persecutione.
XXII. De morte et de temporibus extremis.
XXIII. De acino.

Patet iam ex his inscriptionibus, prioribus decem homiliis quas a. 336/7 p. Chr. n. esse exaratas Aphraates (p. 440, 17.)

---

3) Ex. gr. „Instruam te, mi amice, etiam de eo quod me urget, de hoc statu monastico sancto et de virginitate ac sanctitate in qua vivimus“ (p. 345, 1, 2.).

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000014

testatur praecipue agi de fide christiana et de virtutibus ac bonis operibus ad fidem firmandam atque adornandam necessariis. Sola homilia quinta quae inscribitur „demonstratio de bellis“ alium finem spectat. Non enim, ut vult Ios. Sim. Assemanus, argumentum eius sensu allegorico est intellegendum: „de pugna spirituali“ (Bibl. orient. I, p. 557.); sed sine dubio Aphraates hac homilia de bello a Sapore II Persarum rege contra Constantinum Magnum parato disserit atque amico suo, ut de instantibus malis eum consoletur, probare conatur non victurum esse Saporem Romanos. Ne autem ex amicitia erga Romanos aperte pronunciata, quae iam saepius persecutionum Christianorum persicorum causa fuerat, nova enascantur pericula, nec Saporem nec Romanos nominatim appellat[4]), sed obscuris Danielis prophetae verbis explicationes suas obvolvens Saporem sub imagine arietis (Dan. 8, 3.), Romanos sub imagine quartae bestiae visionis Danielicae (Dan. 7, 7.) in medium profert.

Duodecim quae sequuntur homilias (XI—XXII.) eo potissimum consilio exaravit Aphraates, ut fidem christianam nec non ritus ecclesiasticos contra Judaeos defenderet. Illi enim illo tempore Edessae, Nisibi, Nuhadrae aliis in urbibus domicilio Aphraatis vicinis summa cum industria in sacrarum literarum studium incumbebant et de rebus ad fidem pertinentibus cum Christianis disputabant[5]). Aphraates ipse cum doctoribus iudaicis tales disputationes habuit (cf. initium hom. XXI.) itaque certe evenit, ut quum in nonnullis aliis rebus tum in temporum descriptionibus ad rabbinicas traditiones saepe se applicaret[6]). — Non ad Judaeos refutandos, sed ad

4) De loco p. 99, 3 cf. infr. p. 30.

5) Cf. Bibl. orient. I, prolegg. p. II sqq.

6) Ex. gr. rabbinicas sententias secutus Romanos ab Esau originem ducere (hom. V, § 18.), Hieram Tyriorum regem quadringentos quadraginta annos regnum egisse (p. 84, 2 infr. sqq.), Kain ob necem Abel septem aetatum maledictiones (cf. 1 Mos. 4, 15.) accepisse (p. 183, 2; 3.) asserit. — Potissimum in definiendis iis temporibus quae quibus finibus terminentur in sacris literis non indicatur Aphraates iudaicorum annalium rationes secutus est. Sic Iosue viginti quinque annos munere ducis functum esse (p. 481, 8.),

pacem in ecclesia christiana restituendam exarata est hom. XIV (arm. XIX.) quam non esse genuinam scriptoris nostri Nicolaus Antonellus versionis armeniacae editor latius demonstrare conatur[7]). „Sermonem", inquit, „seu potius epistolam quae sequitur esse s. Iacobi maxime dubito; primum quia nulla de ea mentio est apud Gennadium qui solus ex antiquis operum s. doctoris Nisibeni catalogum nobis exhibuit; secundo quia ipse librarius qui codicem scripsit de ea dubius, quatenus ex ipsius verbis quae inferius adscribam coniectura assequi possum, fuisse videtur; tertio quia stilus, modus ac ratio scribendi dissimilis est minimeque cum superioribus sermonibus seu epistolis consentiens; demum quia haec epistola synodica est et multorum nomine scripta, non autem s. Iacobi episcopi, cuius neque nomen neque episcopalis dignitas et auctoritas nullaque alia quae aliqua ex parte eum auctorem fuisse obscure saltem indicent ullibi apparent." Sed haec Antonelli argumenta firma non esse facile ostendi potest. Nam inscriptiones homiliarum a Gennadio in medium prolatae (vid. infr. p. 23, 24.) magnam partem nimium universae tamque inaccuratae sunt, ut homiliam de qua sermo est eum commemorasse neque

---

Abimelech per sexaginta annos iudicem fuisse (p. 481, 15.), Saul per quadraginta annos regnasse (p. 482, 5.) existimat. — Semel etiam tempus quod Israelitae in Aegypto degebant, quum aliis locis (p. 26, 17; p. 206, 18; p. 480, 21.) ducentos viginti quinque annos fuisse dicat, ducentos decem annos non excessisse rabbinicam traditionem (cf. targ. Ionath. ad 2 Mos. 12, 40.) secutus statuit. Dicit enim (p. 161, 1, 2.): „A tempore quo mortuus est Iacob usque ad tempus quo mortuus est Moses sunt ducenti triginta tres anni," qui numerus efficitur, si Israelitas per ducentos decem annos in Aegypto habitasse ponitur (210—17 + 40). Iterum cum targ. Ionath. l. c. consentiens atque a versione veteris testamenti syriaca discedens annos quadringentos triginta 2 Mos. 12, 40 commemoratos ab adventu Abrahae in Canaan usque ad exitum Israelitarum ex Aegypto praeteriisse asserit (p. 26 sqq.). — Recte igitur Georgius episcopus: „Scito," inquit, „o diligens doctrinae, secundum traditionem librorum iudaicorum fecisse scriptorem hunc omnes computationes suas, non secundum interpretationem graecam vel secundum traditionem samaritanam" (Wright. l. c. pref. p. 36, 4 sqq.).

7) Opera s. Iacobi episcopi Nisibeni. Romae 1756. p. 401.

affirmari neque negari possit. De auctoritate praeterea Gennadii in rebus ad Aphraatem pertinentibus vid. infr. p. 15. E verbis deinde quae librarius quidam homiliae praemisit [8]) minime concludi potest dubium eum fuisse, num ea a Iacobo sit conscripta. Tum „stilum et modum scribendi“ (vel, ut rectius dicendum est, vertendi archetypi syriaci) in hac homilia prorsus eundem esse atque in reliquis, facile sibi quisque persuadere poterit. Dignitas denique auctoris episcopalis quum e tota epistola tum e verbis: „Etiam quod attinet ad sanctam manuum impositionem quam homines a nobis accipiunt, de sufficientia solius impositionis inter se contendunt“ (p. 286, 16 sqq.) clarissime apparet. Homiliam XIV igitur re vera esse Aphraatis ex eo intellegitur, quod Aphraates ipse eam inter scripta sua enumerat (p. 440, 5.); praeterea ordine alphabetico ea postulatur. — Evicta Aphraatis auctoritate iam de argumento homiliae et de consilio quo exarata est pauca dicenda sunt. Assemanus (Bibl. orient. I, p. 558.) asserit, ea tangi schisma quod propter Papam Seleuciae et Ctesiphontis episcopum sit obortum. Sed haec sententia iam chronologia refellitur. Teste enim Barhebraeo (Chron. eccl. III, p. 30.) synodus ad diiudicanda crimina Papae obiecta novem post concilium Nicaenum annis i. e. a. 334 habita est et Papas ipse secundum Barhebraeum (l. c. p. 32.) a. 335, secundum Assemanum (Bibl. orient. III, 1. p. 612.) iam a. 326 e vita decessit. Aphraates autem ipse dicit (p. 304. l. ult.), epistolam mense Februario a. 655 aer. Graec. i. e. a. 344 p. Chr. n. se composuisse. — Wright porro (pref. p. 9.) epistolam hanc iussu concilii Seleuciae et Ctesiphonte a. 344 habiti esse scriptam contendit. At de concilio Seleuciae et Ctesiphonte anno illo congregato nusquam relatum quidquam invenitur, et habitum ibi esse concilium ex eo concludere non licet, quod scriptor initio epistolae Christianos Seleuciae et

8) „Prudens lector! Quamvis hic sermo qui sequitur non sit scriptus ad Illuminatorem nostrum, tamen quia est sermo magni viri non aestimo esse inutile, si subiungatur post epistolas quas ad interrogationes s. Illuminatoris nostri rescripsit, quum multa ad aedificationem nostram in se contineat.“ (Antonellus, l. c. p. 402.)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000017

Ctesiphonte viventes nominatim commemorat[9]). Ex epistola ipsa id tantum intellegitur, in clericos tempore illo avaritiam, ambitionem, neglectionem munerum, discordiam rixasque irrepsisse. Quibus vitiis ut mederentur episcopi Mesopotamiae synodum — quo loco nescimus — congregarunt et Aphraates ut epistolam synodicam scriberet est iussus, sive quia doctrina atque eruditione inter ceteros praecellebat, sive quia iam eo tempore episcopus monasterii Mar Matthaei principatum quendam inter episcopos vicinos obtinebat (cf. supr. p. 67.).

Homilia denique ultima omnium amplissima cui titulus est: „Demonstratio de acino" exarata est mense Augusto a. 345 (p. 507, 10.), quo tempore persecutione a Sapore mota Christiani in regno persico viventes vehementissime opprimebantur (cf. p. 491, 1 sqq.). Respondet hac homilia Aphraates amico suo temporis asperitatibus atque angustiis perculso ad ea quae ex ipso quaesiverat, videlicet quae sit vis ac notio acini benedicti (Ies. 65, 8.), tum semperne homines iusti inveniantur in terra, denique qua de causa iustorum preces modo sint a Deo exauditae, modo non exauditae. —

Praeter has viginti tres homilias scripsisse alia Aphraatem compertum non habemus. Nam Ebediesus Sobensis qui dicit: „Sapiens Persa composuit duo volumina et homilias secundum literas alphabeti digestas", aut inaccurate locutus aut false doctus est. Aphraates enim non duo volumina et homilias, sed duo volumina continentia homilias scripsit; prius volumen amplexum est homilias I—X a. 336/7 scriptas, alterum reliquas. — Libro porro admonitionis quem Barhebraeus (Chron. eccl. III, 34.) ab Aphraate conscriptum esse

9) „Cepimus consilium nos omnes, quum congregati essemus, scribendae epistolae huius ad omnes fratres nostros, filios ecclesiae, qui sunt in variis regionibus, ad episcopos, presbyteros, diaconos totamque ecclesiam Dei cum omnibus liberis eius in variis regionibus qui sunt nobiscum. Fratribus nostris dilectis et claris, episcopis et presbyteris et diaconis cum toto populo ecclesiae qui est vobiscum et cum populo Dei qui est Seleuciae et Ctesiphonte et in variis regionibus per Dominum nostrum et Deum nostrum et vivificatorem nostrum qui per Messiam nobis dedit vitam atque appropinquare nos fecit ad se ipsum, salus multa." (p. 245, 1 sqq.)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000018

dicit homilia ultima „de acino“ significari videtur, quum Barhebraeus eum a viginti duobus epistolis literarum ordine dispositis seiungat; sed titulus ipse (*liber admonitionis*) epistolae synodicae (hom. XIV.) magis convenit. — Gennadius denique presbyter Massiliensis qui inter annos 490 et 495 catalogum „de viris illustribus“ ab Hieronymo inceptum usque ad tempora sua perduxit, librum chronicum scriptori nostro his verbis attribuit: „Composuit et chronicon minoris quidem Graecorum curiositatis, sed maioris fiduciae, quia divinarum scripturarum tantum auctoritate constructum comprimit ora eorum, qui praesumptuosa suspicione de adventu Antichristi (lect. var. *Christi*) vel Domini nostri inaniter philosophantur.“ (Migne, Patrologiae cursus completus. Paris. 1847. tom. 58, p. 1061 sq.)

Etiam liber hic chronicus nihil aliud est atque homilia „de acino“, in qua Aphraates acinum benedictum per omnes aetates ab Adam usque ad Christum servatum esse latissime explicat (p. 462—483.). Iam antea quidem Gennadius inter homilias *Iacobi Sapientis* etiam hanc ultimam indito titulo „de acino benedicto“ enumeraverat. Sed verisimillimum est, Gennadium homilias — quoniam eas omnes quidem, ut videtur, sed ordine inverso atque inscriptionibus nonnullis argumenta earum nimis inaccurate significantibus profert — suis oculis non vidisse. E relationibus forte Iohannis Cassiani, qui Syriae et Aegypti monasteria plurima visitavit et a. 415 Massiliae duo coenobia instituit, de his scriptis certior est factus et sicuti de ipso scriptoris nomine (cf. infr. p. 24.) etiam hac in re ab auctore suo inaccuratius referente in errorem inductus. —

Restat, ut de genere scribendi Aphraatis et de loco quem inter veteres scriptores Syriae ecclesiasticos ille obtinet pauca dicenda sint.

Genus igitur scribendi Aphraatis clarum est ac dilucidum, sed varietate et splendore in universum carens; in cantico tantum p. 486, 18 — p. 498, 3 occurrente, quo Dei potentia universa celebratur atque auxilium in rebus anxiis vehementer imploratur, scriptor altius evolat multisque elocutionibus e Psalmis petitis sermonem suum adornat. In themate porro quod sibi sumpsit tractando illud maxime reprehendendum

est, quod saepissime longe a proposito suo aberrat atque omissis iis quae quaeruntur res minoris momenti quarum in mentionem incidit subtilius persequitur. — Sermo syriacus Aphraatis, quamquam ipse natione fuit Persa, minus vocabulis peregrinis refertus est, quam vulgo apud scriptores syriacos invenitur; etiam syntaxis adeo habet formam vere semiticam, ut ei qui syntaxin syriacam componere velit ad Aphraatem praecipue recurrendum esse V. Ill. Noeldeke (in opere praestantissimo „Mandäische Grammatik", Halle 1875. p. XXI.) optimo iure iudicet.

Quare Aphraatis scripta quum ei cuius studium in perscrutandis linguis semiticis versatur magni sint momenti, non minus eum iuvant qui sacris literis operam navat. Nam ut omittam, Aphraatem in scriptis suis antiquissimum nobis documentum de vita et studiis Christianorum syriacorum in regno persico viventium praebere, explicationes eius apologeticae, exegeticae, dogmaticae quae animadvertentur summopere sunt digna.

Apologeta Aphraates fidem christianam contra Iudaeos defendens demonstrat, Christum re vera esse Messiam Iudaeis promissum, quum veteris testamenti vaticinia et typi de nomine, vita passionibusque venturi Messiae in Christo sint expleta (hom. XVII, § 7. 8.); item quae de condicione temporis quo Messias sit venturus a prophetis praedicta sint tempore Christi accidisse; nam Iudaeos per omnes nationes esse dispersos et templum deletum (hom. XVII, § 8. hom. XIX, § 6.). Ecclesia porro christiana docet veteris testamenti vaticinia de gentilium electione atque ad verum cultum Dei revocatione esse expleta (hom. XI, § 1, 2. hom. XII, § 3. hom. XVI.), et circumcisionem atque agnum paschalem nil nisi typos baptismi atque eucharistiae novi foederis fuisse (hom. XI, § 11. 12. hom. XII, § 4. 6.).

In afferendis locis e sacra scriptura petitis Aphraates certam viam ac rationem non est secutus. Imo contextus locorum illorum ratione non habita ibi eos profert, ubi ipsi convenire videntur itaque non raro uni eidemque loco explicationes perdiversas vindicat. — Ut vero multi primaevae ecclesiae scriptores etiam scriptor noster verbis sacrae scripturae praeter sensum verbalem subiicit sensum allegoricum ad Christum

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000020

ecclesiamque christianam pertinentem et hac interpretationis ratione saepissime utitur. Exempli causa affero interpretationem allegoricam visionis Iacobi (1 Mos. 28, 12 sqq.): „Etiam pater noster Iacobus precatus est in Bethel et vidit portam coeli apertam scalasque in altum ducentes. Hoc quod vidit Iacobus mysterium salvatoris nostri est. Porta coeli est Christus, sicut ipse dixit: *Ego sum porta vitae*; *quicunque per me intrat, vivet in aeternum* (Ioh. 10, 9.); etiam David dixit: *Haec est porta Domini per quam iusti intrant* (Ps. 118, 20.). Et scalae porro quas Iacobus vidit sunt mysterium salvatoris nostri, quia per eum homines iusti e profundo in altum ascendunt; et rursus (scalae) sunt mysterium crucis salvatoris nostri quae erecta est instar scalarum. Dominus autem stetit supra scalas; supra Christum enim est Dominus omnipotens, sicut dixit beatus apostolus: *Caput Christi Deus est* (1 Cor. 11, 3.). Vocavit Iacobus locum Bethel erexitque ibi lapidem testimonii causa et fudit oleum super eum. Etiam eo, quod lapis accepit unctionem, mysterium praefiguravit pater noster Iacobus; gentiles enim qui credunt in Christum unguntur, sicut dixit de iis Iohannes: *Ex his lapidibus potest Deus filios suscitare Abrahae* (Matth. 3, 9.). Precatione igitur Iacobi praefiguratum est mysterium electionis gentilium.“ (p. 63, 1 sqq.) — Porro Aphraates verbis quae 1 Mos. 2, 2. leguntur allegorice explicatis, ut multi alii veteres scriptores ecclesiastici, docet post sex millia annorum mundum destructum iri. „Etiam sapientes nostri doctores“, inquit (p. 36, 19 sqq.), „dicunt fore, ut mundus, sicut sex diebus a Deo sit creatus, finitis sex millibus annorum destruatur et sit sabbatum Dei secundum sabbatum quod sex dies (creationis mundi) secutum sit.“ — Attamen interpretationem historicam quam vocant Aphraates omnino non neglexit et quae ad hanc rem pertinentia in homiliis saepius profert — velut explicationes de Amanis consilio Iudaeos necandi ac de Mardochaeo Amani reverentiam negante (hom. III, § 8, 9.), de septuaginta hebdomadibus Danielicis (hom. XIX, § 5, 6.) — summam eius sacrae scripturae scientiam ostendunt et quae etiam nostro tempore animadvertantur non sunt indigna.

Doctrinae Aphraatis ad fidem christianam pertinentes

omnino sunt orthodoxae. In medium profert dicta maxime perspicua de duabus Christi naturis, humana [10]) et divina [11]), de reali Christi praesentia in sacramento eucharistiae [12]), de Christo homousio cum patre [13]) ct. Quare Barhebraeus Monophysita qui sapientem Persam orthodoxum appellat (Chron. eccl. I, p. 85.) homilias strictim se attigisse ostendit. — Mira vero et quae fusius tractetur digna est Aphraatis psychologia, ea praesertim sententia — in quam interpretandam iam Georgius episcopus multam operam et doctrinam contulit [14]) —

---

10) „Vivificator noster Iesus Christus venit et induit humanitatem nostram et passus ac tentatus est in corpore quod assumpsit a nobis.“ (p. 59, 9 sq.; cf. p. 459, 17.)

11) „Ita etiam Deus et Christus, quum sint unum, non nisi in multis hominibus habitant.“ (p. 121, l. ult.)

12) „Non decet te, o homo, e porta per quam intrat rex emittere stercus et coenum. Quare homo, postquam sumpsit corpus et sanguinem Christi, abstineat se ab omnibus rebus odiosis custodiatque os suum per quod filius regis intravit“. (p. 46, 2 sqq.) — „Non mundantur homines nisi se abluerunt aqua baptismi et sumpserunt corpus et sanguinem Christi; sanguis sanguine expiatur et corpus corpore mundatur.“ (p. 78, 11 sq.; cf. p. 222, 4 sqq.; p. 224, 3, 4.) —

13) „Laudamus per te (sc. Christum) aeternum (patrem) qui te separavit ab essentia sua et misit te ad nos.“ (p. 486, 3, 2 infr.) —

14) Georgius philosophiae aristotelicae peritus quod de hac materia scripsit, quum multis ex causis sit memorabile, hic vertam: „.... *Et spiritus adimitur ei* (sc. *spiritui animali*). Quo iudicio et quo sensu hoc dici potest? Spiritus enim animalis qui sensu caret in nulla re creata est, nisi in seminibus solum et herbis et arboribus et in fetibus forte qui sunt in ventribus; nam id quod ea alit et auget neque sentit neque a loco in locum se movet. Ut enim philosophi dicunt, ἡ οὐσία dividitur in corporeum atque incorporeum, et corporeum dividitur in animatum atque inanimatum, et animatum rursus dividitur in animal, zoophytum (سمك برحل), plantam. Animal igitur omne est quod vivit atque a loco in locum se movet sive in aëre sive in terra sive in aqua. Zoophyta autem sunt spongiae et conchylia quae sunt plurima, et omnia ea quae, dum fixa sunt uno loco atque ab eo movere se sua voluntate non possunt, vivunt et sentiunt, si quid ad ea accedit eaque attingit; et vivere ea significat una cum eo, quod sentiunt, etiam id, quod sanguis ex iis profluit, si amputantur. Planta autem est id in quo, dum fixum satumque stat uno loco, anima quaedam

qua dicit, animam humanam sensu adempto post mortem in sepulto corpore permanere usque ad diem resurrectionis. Ante omnia igitur necesse est, ipsa Aphraatis verba de hac re in medium proferre: „Quare, amice, etiam nos de spiritu Christi accepimus et Christus habitat in nobis, sicut scriptum est dixisse hunc spiritum ore prophetae: *Habitabo in iis et ambulabo inter eos* (2 Cor. 6, 16.). Praeparemus igitur templa nostra spiritui Christi neve vexemus eum, ne a nobis abeat. Recordamini id quod docet vos apostolus: *Nolite vexare spiritum sanctum quo signati estis in diem redemptionis* (Eph. 4, 30.). E baptismo enim accipimus spiritum Christi; nam qua hora vocant sacerdotes spiritum, aperit ille coelum et descendit et incubat super aquam (sc. pelvis baptismalis) induuntque eum ii qui baptizantur. Nam ab omnibus filiis carnis remotus est spiritus usque ad id tempus quo veniunt ad nativitatem aquae et tum accipiunt spiritum sanctum. Prima enim nativitate nascuntur (homines) praediti spiritu animali (ܪܘܚܐ ܕܢܦܫܐ) qui creatur in medio homine et immortalis est, sicut scriptum est: *Adam factus est anima viva* (1 Mos. 2, 7.). Nativitate autem secunda quae fit baptismo

---

est sensu carens quae id alit et auget una cum terra et aqua et cura creatoris. — In speciem huius animae plantae assimulavit scriptor hic persicus animam hominis quam sensu adempto sepeliri dicit in medio corpore mortuo. Quin etiam viliorem anima plantae esse demonstrat animam quae in medio copore hominis sepelitur. Planta enim, in quantum anima in ea est, viridis et conservata et laeta est et ut viva apparet oculis; sed simulatque (anima) ab ea discessit, dura et arida fit et corrumpitur et ut mortua apparet oculis. Ea autem anima quam scriptor hic persicus sepeliri dicit in medio corpore hominum mortuorum, ne tres quidem totos dies corpus servare potest a dissolutione et dissipatione et corruptione in medio sepulcro.“ (Wright, l. c. pref. p. 33, 3 sqq.) — Gennadius verbis his in *Epistola de fide sua s. de dogmatibus ecclesiasticis* (c. 15.) scriptis: „Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Iacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem qua animetur corpus et immixta sit sanguini, et alteram spiritualem quae rationem ministret“ — num ad scriptorem nostrum alluserit, quod asserit Antonellus (l. c. praef. p. V.), in dubio relinquo; id vero certum est, quod Aphraates nihil tale docuit.

accipiunt spiritum sanctum de parte deitatis qui rursus immortalis est. Quum igitur moriuntur homines, sepelitur spiritus animalis una cum corpore sensusque adimitur ei [15]); spiritus autem coelestis quem acceperunt abit ad naturam suam ad Christum. Et utramque rem manifestavit apostolus; dixit enim: *Sepelitur corpus animaliter et resurgit spiritualiter* (cf. 1 Cor. 15, 44.). Spiritus (sanctus) porro ad Christum naturam suam abit; dixit enim apostolus: *Quando exierimus e corpore, apud Dominum nostrum erimus* (2 Cor. 5, 8.). Nam ad Dominum nostrum spiritus Christi quem accipiunt spirituales abit et spiritus animalis sepelitur in natura sua sensusque adimitur ei. — Spiritus Christi, si in puritate servatus est, quando abiit ad Christum, hoc modo dicit ei: corpus ad quod veni et quod induit me ex aqua baptismi in sanctitate me servavit; et urget spiritus sanctus Christum, ut resuscitet corpus quod pure ipsum servavit petitque, ut corpus iterum in communionem sui redactum resurgat cum gloria. — Sed ab eo homine qui spiritum ex aqua acceptum vexat spiritus discedit prius quam ille mortuus est profectusque ad naturam suam ad Christum accusat hominem qui eum vexavit. — Et quum tempus consummationis extremae tempusque resurrectionis venit, spiritus sanctus qui servatus est in puritate magna vi e natura sua assumpta ad Christum accedit consistensque ad portam coemeterii, ubi homines qui in puritate eum servaverunt sepulti sunt, clamorem exspectat. Tum quum aperuerunt vigiles portas coeli ante regem, cornu canit et tubae resonant auditque spiritus clamorem quem exspectat et sepulcris celeriter reclusis corpora una cum eo quod in iis sepultum est resuscitat. Induit ei (sc. corpori) gloriam quae cum ipso venit et ipse est intus (in corpore), ut resurgat corpus, et gloria est extra, ut corpus adornetur; atque absorbetur spiritus animalis spiritu coelesti totusque homo fit spiritualis, quia corpus eius in eo (sc. in spiritu) est. Absorbetur mors vita et corpus absorbetur spiritu atque obviam regi volat homo spiritu elatus.“. (p. 124, 3 infr. sqq.)

---

15) Wright, p. 125, 4 infr. leg. ܟܕܪ (cf. p. 126, 4 et ep. Georg. l. c. pref. p. 31, 6 infr.).

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000024

Primum igitur patet, Aphraatem praeter spiritum animalem etiam spiritum coelestem (sive *sanctum*, sive *Christi*) in hominibus distinguere eoque gratiam divinam significare. Quem spiritum coelestem docet baptismo hominibus impertiri atque in iis qui sancte iusteque vivant permanere usque ad mortem, ut tum ad coelestem suam originem redeat; ex iis vero qui eum vexent i. e. post baptismum gravia committant peccata proficisci prius quam mortui sint ad Christum naturam suam. Qua in re Aphraates accurate cum nonnullis veteris ecclesiae scriptoribus consentit, velut cum Irenaeo[16]) (c. haer. l. V, c. 7—13.), Origene (com. in Matth. tom. 16. ser. 57. 62.), Didymo Alexandrino (de trinit. l. II. c. 20.) qui praeter animam (ψυχή) etiam spiritum (πνεῦμα sc. ἅγιον) i. e. gratiam Dei in hominibus iustis inesse contendebant. — Spiritus porro animalis quem vocat est anima humana ratione utens qua praediti homines nascuntur. Quam animam asserit sapiens Persa post mortem una cum corpore sepeliri ac sensu adempto in eo usque ad diem resurrectiouis permanere[17]). Quae sententia quid sibi velit illustratur loco hoc homiliae octavae quo Aphraates doctrinam de somno animae (hypnopsychia) se

---

16) De huius scriptoris ecclesiastici doctrina de anima et spiritu, quacum Aphraatis explicationes mirum in modum conveniunt cf. Stöckl, Geschichte der Philosophie der patristischen Zeit. Würzburg 1859, p. 153 sq. et Schwane, Dogmengeschichte der vornicänischen Zeit. Münster 1862, p. 440 sqq.

17) Hanc sententiam ut sacris literis nitatur, Aphraates affert Pauli verba 1 Cor. 15, 44 quo loco ܡܬܛܡܪ i. e. „sepelitur“ pro ܡܙܕܪܥ i. e. „seminatur“ — quod recte Peschittha habet — legit. Attamen dubium esse non potest, quin duarum interpretationum quas Georgius episcopus hanc digressionem a lectione vulgari explicare conatus in medium profert (Wright, l. c. pref. p. 32.) — videlicet verbum illud ܡܬܛܡܪ lectionem fuisse exemplaris Peschitthae quod in manibus Aphraatis fuisset aut Aphraatem textus lectionem consulto et cogitate commutasse (Wright, l. c. p. 33, 1 pro ܠܗ leg. ܠܗ) — haec ultima sola sit vera, ob eamque causam Noeldekii illud: „Seine (Aphraatis) Psychologie, an welcher der Bischof Georg schweren Anstoss nimmt, scheint der ursprünglichen Paulinischen sehr nahe zu stehen“ (Gött. gel. Anz. 1869, p. 1524.) non rectum esse mihi videtur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000025

esse secutum declarat: „Iusti“, inquit (p. 170, 5 sqq.), „dormiunt et somnus eorum dulcis est die ac nocte totamque longam noctem non sentiunt, sed tamquam una hora videtur ipsis; tum tempore vigiliae diluculi (i. e. die resurrectionis) expergiscuntur et laetantur. Verum somnus iniquorum gravis est et similes sunt viro qui incidit in febrim acutam ac vehementem et volvitur in lecto suo huc atque illuc; horrenda est tota nox et longa est iis timentque tempus diluculi quo damnat eos Dominus. Fides autem nostra docet, homines, quum iaceant hoc somno oppressi, esse alienatos mentibus, bonum a malo non distinguere, neque iustos consequi praemia sua neque impios peccatorum poenas dare, quoad veniat iudex.“ — Docet igitur Aphraates — ut eius de hac re sententiam breviter complectar — animam humanam in corpore sepulto esse in statu quodam somno simili et neque externarum neque internarum rerum sensu commoveri. Tum die resurrectionis spiritus coelestis defertur ad sepulcrum hominis qui sancte eum servavit et tuba resonante sepulcrum aperiens resuscitat et corpus et spiritum animalem in corpore sepultum. In corpus tum immersus totum id implet gloria sua, ita ut corpus spiritusque animalis eo absorbeantur totusque homo spiritualis factus in altum evolet. — Ii vero qui spiritum illum coelestem aut non acceperunt aut acceptum amiserunt suscitantur quidem Dei verbo, sed animales (حيوهى p. 132, 1.) resurgunt et gravitate corporum quominus in coelum eleventur impediti in terra manent et ad gehennam descendunt. (p. 133, 1 sqq.) —

Scripta Aphraatis in Syria ipsa iam pridem oblivione esse obruta supra (p. 8.) memoratum est. E numero scriptorum syriacorum quorum opera usque ad nostram aetatem pervenerunt unus Isaacus Antiochenus saeculi V^{i} scriptor, cuius scribendi sentiendique ratio Aphraatis vicina est, in manibus ea habuisse iisque usus esse videtur [18]).

18) S. Isaaci Antiocheni, doctoris Syrorum, opera omnia ed. G. Bickell. Pars I. Gissae 1873. Conferantur imprimis Isaaci carminis „de sancto ieiunio quadragesimali“ (l. c. I, p. 251 sqq.) versus 50—70 et 115 sqq. cum hom. III, § 2. 3 sq.; cf. etiam carm. VIII (l. c. I, p. 85 sqq.) v. 1280 sqq. cum hom. I, § 10. —

Sed auctoritate in patria negata homiliae apud Armenios auctae sunt. Tempore enim iam vetusto in linguam armeniacam eae sunt translatae ac praestantem in literis armeniacis locum usque ad nostra tempora obtinuerunt [19]). Sed mirum in modum non Iacobo Aphraati, sed Iacobo episcopo Nisibeno — quem a. 338 mortem obiisse constat [20]) — homiliae apud Armenios adscribuntur. Item Gennadius Massiliensis Iacobum Nisibenum earum auctorem esse dicit. „Iacobus", inquit, „cognomento Sapiens, Nisibenae nobilis Persarum modo civitatis episcopus, unus ex numero sub Maximino persecutore confessorum, et eorum qui in Nicaena synodo Arianam perversitatem homousii oppositione damnarunt. Hunc virum beatus Hieronymus in libro Chronicon velut magnarum virtutum hominem nominans in Catalogo cur non posuerit, facile excusabitur, si consideremus quod ipsos tres vel quatuor Syros, quos posuit, et interpretatos in Graecum se legisse testetur. Unde constat eum illo tempore ignorasse Syram linguam vel literas, et ideo hunc, qui necdum versus est in aliam linguam, nescisse scriptorem. Comprehendit autem omne opus suum in viginti sex libris, id est: de fide; contra omnes haereses; de caritate generali; de ieiunio; de oratione; de dilectione erga proximum speciali; de resurrectione; de vita post mortem; de humilitate; de patientia; de poenitentia; de satisfactione; de virginitate; de sensu animae; de circumcisione; de acino benedicto, pro quo in Isaia (65, 8.) legitur: *Non est exterminandus botrus*; de Christo, quod filius Dei sit, et consubstantialis Patri; de castitate; adversus gentes; de constructione tabernaculi; de

---

19) Textum armeniacum primus Nicolaus Antonellus additis prolegomenis, versione latina adnotationibusque Romae a. 1756 prelo subiecit. Hanc editionem Gallandius in „Bibliotheca veterum patrum" Venetiis 1769. tom. V, p. 3—164. abbreviatis Antonelli prolegomenis atque omissis adnotationibus typis denuo exscripsit. — Totam Antonelli editionem Venetiis a. 1765 iterum prodiisse et textum armeniacum Constantinopoli a. 1824, Neumann (Versuch einer Geschichte der armenischen Literatur. Leipzig 1836. p. 19.) refert; sed videre has editiones mihi non contigit.

20) Vid. Bickell, S. Ephraemi Syri carmina Nisibena. Lipsiae 1866. prol. p. 20.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000027

gentium conversatione; de regno Persarum; de persecutione Christianorum. Composuit et chronicon minoris quidem Graecorum curiositatis, sed maioris fiduciae, quia divinarum scripturarum tantum auctoritate constructum comprimit ora eorum, qui praesumptuosa suspicione de adventu Antichristi (lect. var. *Christi*) vel Domini nostri inaniter philosophantur." (Migne, Patrol. curs. compl. tom. 58, p. 1060 sqq.) [21]) — Qui error unde sit exortus haud difficile est intellectu. Certe enim translator armeniacus (vel librarius quidam posterior) cui nomen Iacobi Aphraatis non erat notum Iacobum episcopum Nisibenum — qui apud Armenios amplissima vigebat auctoritate — auctorem posuit, quum et nomen Iacobi (cognomenque *Sapientis*) utrique eorum esset commune et ex ipsis homiliis auctorem in numero episcoporum esse habendum haud obscure appareret (cf. supr. p. 7.); atque iisdem ex causis etiam Gennadius vel auctor eius Aphraatem cum Iacobo Nisibeno confudit.

Si quaeritur de tempore quo versio armeniaca exarata sit, certa scriptorum armeniacorum testimonia non adesse est fatendum. Nam a Fausto Byzantino [22]), Mose Chorenensi [23]) aliisque veteribus Armeniae historiographis de vita quidem et rebus gestis Iacobi Nisibeni multa et pro Armeniorum more mirabilia referuntur, de scriptis vero eius nihil. Vetustissimum apud Armenios documentum de scriptis Iacobi Nisibeni occurrit in *libro precum* saeculo decimo a Gregorio Nariekensi confecto. „Libros", narratur ibi (vid. Antonellus, l. c. p. XLII.), „mundo utiles ac salutares scripsit, rebus praeclare definitis et ad rationis examen exactis maledicorum ora obstruxit et haereticam sectam obmutescere fecit et indelebiles regulas perpetuo stabilivit." — Attamen dubium esse vix potest, quin saeculo

---

21) Etiam Jos. Sim. Assemanus sermones a Gennadio enumeratos quos primo Iacobo Sarugensi adscripserat postea, quum de versione armeniaca esset certior factus, Iacobi Nisibeni esse censuit. (Bibl. orient. I, p. 28 sqq.; cf. p. 557.) —

22) Langlois, Collection des historiens anciens et modernes de l'Arménie. Paris 1867. tom. I, p. 218 sqq.

23) Langlois, l. c. tom. II. (Paris 1869.) p. 136.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000028

quinto, aurea literarum armeniacarum aetate, quo ab Isaaco Magno et Mesrope iuvenes eximio ingenio praediti quum ad Graecos tum ad Syros, ut monumenta et literas eorum discerent ac verterent, missi sunt, sicut multa opera Ephraemi etiam Aphraatis homiliae in linguam armeniacam sint translatae. Nam praeter id, quod inde a saeculo sexto homiliae scriptoribus syriacis vix iam notae erant atque auctoritate, ita ut vertere eas operae pretium videri potuisset, omnino carebant, cognitio linguae syriacae excellens quam prae se fert translator armeniacus ad tempora illa antiqua nos delegat quibus duae illae nationes commercio frequentissimo intime inter se coniunctae erant. Accedit quod in versione armeniaca formae nonnullae grammaticales linguae vetustissimae propriae reperiuntur, velut coniunctivus temporis imperfecti [24]) qui etiam apud Faustum Byzantinum scriptorem exeunte saeculo quarto florentem in usu est, in recentioribus vero libris rarissime invenitur.

Ut igitur accuratius, quoad possibile est, aetatem versionis indagemus, terminus ante quem ea confecta esse non potest eo invenitur, quod translator versionem veteris et novi testamenti armeniacam — quae circiter a. 432 p. Chr. n. ad interpretationem graecam exarata est — cognitam habuit. Nam non solum nomina propria — ut յեսու որդի նաւեայ = ܝܫܘܥ ܒܪ ܢܘܢ; նաբաթ = ܢܒܝ; աբիութ = ܐܒܝܗܘ; յօհաննէս = ܝܘܚܢܢ — eandem atque in bibliis armeniacis formam praebent et ad exempla graeca formata sunt, verum etiam loci nonnulli e sacris scripturis deprompti ad biblia armeniaca aperte a translatore sunt mutati. Quod ut demonstrem duo exempla sufficiant. Locum igitur ex 1 Mos. 49, 3, 4. ab Aphraate

---

24) Exempla sunt: դնիցէին p. 21, 24. — փրկիցէր p. 31, 17. — լուեալ իցէր p. 49, 30. — լինիցիւր p. 59, 33, 34; et լինիցէր p. 286, 30. — գիտայցէին p. 209, 25. — փորձիցիւր p. 216, 19.

Bibliothek der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft

(p. 160, 3 sqq. infr.) allegatum translator ab archetypo omnino discedens eadem forma atque in versione veteris test. armeniaca exstat attulit (Ant. p. 259, 6 sqq.); nam pro ܕܐܬܝ ܠܥ (Wr. l. c. l. 2 infr.) posuit սկիզբն որդւոյ իմոյ (Ant. l. c. l. 8. — LXX *ἀρχὴ τῶν τέκνων μου.*) et pro ܐܫܬ (l. c. l. 2 infr.): խստութեամբ գնացեր, ի խաւսութիւն յանդգնութեան վարեցեր զանձն քո. թշնամանեցեր զիս. (l. c. l. 8—11. i. e. „asper incessisti, fera arrogantia vitam egisti, ignominiam mihi iniunxisti"). — Porro locum ex 1 Cor. 15, 13—15 citatum (Wr. p. 157, 3 sqq.) translator (Ant. p. 255, 15 sqq.) quum in universum versioni nov. test. armeniacae magis accomodavit tum post verba ܡܝܬ ܠܐ (Wr. l. c. l. 7.) addidit եթէ մեռեալք ոչ յառնեն (Ant. l. c. l. 22. i. e. „si mortui non resurgunt."), quae verba neque in archetypo neque in Peschittha reperiuntur. — Terminus post quem versio armeniaca non potest esse exarata ea forte re proditur, quod translator Aphraatis sententiam qua dicit, mundum hunc post sex millia annorum destructum iri, ad verbum expressit (hom. II, § 13.). Quum enim etiam aliis locis verba archetypi mutare non est veritus — ut modo demonstratum est; cf. etiam infr. p. 29. — dubito, num locum hunc integrum relicturus fuerit, si post anum 500, in quem secundum temporum computandorum rationem Armeniis illo tempore usitatam finis sex millium annorum incidit, versionem exarasset.

Quae quum ita sint, a vero non longe discedere nobis videmur, si homiliarum Aphraatis versionem armeniacam secundo saeculi quinti dimidio confectam esse statuimus. —

Continet editio Antonelli homilias I—XIX, undecim priores eodem ordine quo in editione syriaca exstant digestas, reliquas ordine tali modo inverso:

Edit. armen.	Edit. syr.
XI. De circumcisione contra Iudaeos.	XI. De circumcisione.
XII. De sabbato contra Iudaeos.	XII. De paschate.

XIII. De distinctione ciborum.	XIII. De sabbato.
XIV. De paschate.	XIV. Deprecatio (discordiarum).
XV. De ingressu gentilium pro populo Iudaeorum (seu de gentilium vocatione et reprobatione Iudaeorum).	XV. De distinctione ciborum.
XVI. Christum filium Dei esse demonstratur.	XVI. De gentilibus qui sunt loco populi Israelitarum.
XVII. De virginitate et sanctitate contra Iudaeos.	XVII. De Christo Dei filio.
XVIII. Refutatio Iudaeorum dicentium: Futurum est, ut denuo congregemur.	XVIII. Contra Iudaeos de virginitate et sanctitate.
XIX. Epistola synodica.	XIX. Contra Iudaeos dicentes fore, ut denuo congregentur.

Sed ordinem hunc inversum non fuisse primitus in versione armeniaca, apparet e loco Ant. p. 309, 26 sqq.: instruam te de sabbato, „quemadmodum te docui de circumcisione et de paschate“. Certe librarius quidam codicis ordine qui nunc est homilias disposuit, adductus forte verbis scriptoris: „Nam de his tribus rebus gloriantur (Iudaei): de circumcisione, de observatione sabbati, de distinctione ciborum“ (Wr. p. 319, 13, 14.), ut tres homilias: de circumcisione, de sabbato, de distinctione ciborum aliam post aliam poneret. Idem librarius epistolam synodicam (syr. hom. XIV.) ab aliis homiliis separavit et loco ultimo posuit, quum, ut ipse dicit (Ant. p. 402.), non ad Gregorium Illuminatorem eam scriptam esse existimaret. —

Translator armeniacus linguae syriacae peritissimum se praebet atque archetypo accurate et fide vertendo in universum operam dedit. Itaque evenit, ut quasdam linguae syriacae proprietates in sermonem suum armeniacum transsumeret, ex. gr. modum temporis imperfecti verbo ܨܒ, i. e. „velle“ circum-

scribendi: ܢܛܪ ܐܢ (Wr. p. 6, 4) = կամիցի արգելուլ i. e. „retinebit“ (Ant. p. 2, 5 infr.); figuram porro etymologicam: ܘܘܘ ܒܐܫ ܐܫܫܕ (Wr. p. 10, lin. ult.) = քակելով քակէին i. e. „destruendo destruebant“ (Ant. p. 6, 24.). Quid? quod usus ille mere semiticus pronomen relativum (syr. ܕ) definiendi pronomine pers. ad illud se referente saepe in versione armeniaca occurrit? ex. gr. ܗܘ ܕܒܪܟ ܟܠ ܐܡܡ ܕܐ (Wr. p. 26, 6.) = զաւակն այն, որ նուաւր օրհնին ամ հեթանոսք i. e. „semen illud quo benedicuntur omnes gentes“ (Ant. p. 23, 5, 6.). — ܕܐ ܠܡܐ ܕܚܛܝܐ ܒ (Wr. p. 145, 1.) = որ յանցանք հեռի իցէն 'ի նմանէ (Ant. p. 244, 28.) i. e. „is a quo peccatum longe abest“. — Mirum in modum translator significationem particulae ܕ relativam et coniunctionalem innumeris locis confudit eamque *zi* i. e. „ut, quod“ vertit, ubi *or* ct. i. e. „qui“ ct. fuisset vertendum, et *or* ct., ubi *zi* sive *thê* versio recta fuisset.

Multis porro locis aut codicis syriaci quem vertit mendis aut sua in legendo incuria in errores est inductus, ita ut verborum in universum magis quam sensus rationem habuisse videatur. Sic initio epistolae homilias praecedentis sine dubio fuit ܐܢ i. e. „ego“; sed translator armeniacus legit ܐܠ, itaque satis absurde epistolam a verbo բայց i. e. „sed“ incepit; Ant. p. 73, 7, 8 verborum syriacorum — ܦܬܓܡ ܕܐܡ ܘܠ (Wr. p. 73, 5.) — versionis ineptae — կամ աչառիցէ ինչ քեզ — causa ex eo est repetenda, quod ܘ̄ܠ = o! confudit cum ܐܘ̇ = „aut, vel“; pro ܐܫ (Wr. p. 94, 5.) legit ܐܫ et եսես i. e. „vidit“ vertit (Ant. p. 96, 24.).

Quamquam igitur translator magna cum cura verba archetypi reddere studuit, tamen nonnunquam textum syriacum suo arbitrio aut auxit aut abbreviavit. Solet enim verbum archetypi simplex duobus verbis synonymis reddere; ex. gr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000032

ܡܬܒܢܐ (Wr. p. 6, 13.) = շինի և կատարի (Ant. p. 3, 12.) i. e. „aedificatur ac perficitur“; ܒܪܢܫܐ ܕܡܝܩܪ (Wr. p. 8, 4.) = մարդ, որ փառաւոր և պատուական (Ant. p. 4, 14, 15.) i. e. „vir qui nobilis atque illustris est;“ ܡܛܠ ܥܘܠܐ (Wr. p. 24, 13.) = վն̄ անօրինաց և ամբարշտաց (Ant. p. 20, lin. ult.) i. e. „propter nefarios atque impios“. Maiora additamenta quae sensui explicando potissimum inserviunt inveniuntur ex. gr. Ant. p. 20, 9—11 (cf. p. 30, 17 sqq.); p. 42, 8—11; p. 78, 10—14 ct. — Interdum etiam translator verba textus syriaci contraxit; ex. gr. tex. syr.: „Joseph electus est e grege ovium, ut gubernet Aegyptios tempore afflictionis, et Moses electus est e grege ovium, ut gubernet populum suum et pascat eum, et David dux factus est e grege, ut sit rex Israelis .....; non revertit Moses ad oves suas et non reliquit gregem qui traditus erat ipsi, etiam David non revertit ad oves patris sui“ (Wr. p. 196, 12 sqq.); — vers. armen.: „Joseph, Moses, David e gregibus electi sunt, ut gubernent populum, et non reverterunt ad greges rationis expertes“ (Ant. p. 286, 17 sqq.). —

Indicia certa quibus plures fuisse translatores ostendatur non inveni. Imo modus vertendi idem universe est in omnibus homiliis, ob eamque rem quo iure Antonellus „stilum, modum ac rationem scribendi homiliae XIV (arm. XIX.) dissimilem esse minimeque cum aliis sermonibus seu epistolis consentientem“ (p. 401, 6.) dicere potuerit non video. —

Lectiones codicis e quo versio armeniaca manavit semper fere cum codice saeculi VI[i] a Wrightio litera A signato consentiunt, cuius rei exempla, quum in unaquaque pagina multa inveniantur, afferre supersedeo. Sed codex ille etiam suas proprias habuit lectiones quae nonnunquam lectionibus trium codicum e quibus Wright opera Aphraatis edidit sunt praeferendae itaque textui nostro emendando non raro inserviunt. Quae igitur in decem prioribus homiliis mihi forte occurrerunt emendationes textus syriaci diiudicandas hic propono.

Wr. p. 13, 20 pro ܢܘܗܪܗ melius legendum est cum vers. arm. (p. 9, 2. *avetarann*) ܣܒܪܬܗ. — p. 39, 13 lectioni ܣܘܒܗ

ܘܥܒܕ videtur esse praeferenda lectio vers. arm. (p. 39, 7 infr. *sêr χalaḷarar.*) ܫܠܡܐ ܥܒܕ i. e. caritas pacifica. — p. 50, lin. ult. pro ܘܢܐ leg. ܘܢܐ (vers. arm. *jralits* p. 51, 34.); ita etiam Peschittha Jes. 58, 11. — p. 51, 2 infr. vers. arm. (p. 54, 6.) post ܕܥܒܕ add. ″ ܐ ܕܒ ܕܒ. — p. 53, 2 infr. leg. ܕܡܡܛ (vers. arm. *i matean.* p. 56, 11, 12.). — p. 58, 3 infr. leg. ܘܐ pro ܐܐ; nam translator armen. ita legit (p. 61, 4 infr. *zi.*) et forma imperf. ܢܥܒ, ut ita legamus, postulatur. — p. 75, 2 leg. ܒ ܕܒ (cf. vers. arm. p. 74, 7 infr.). — p. 76, 8 leg. ܕܥܒܕ (vers. arm. p. 76, 12.). — p. 77, 11 pro ܕܥܒ ܒ ܕܒ melius forte cum vers. arm. (p. 77, 6 *ev ěndêr ardeokh oç.*) leg. ܕܥܒ ܕ ܠ ܕܒ. — p. 99, 3 verba ܕܥܒ ܘܐ manu posteriore addita sunt; nam scriptoris consilio repugnant (cf. supr. p. 11.) et in versione arm. (p. 103, 3 infr.) non exstant. Leg. ܕܥܒ ܕܒ ܕ ܐ. — p. 111, 9 et sensu et vers. arm. (p. 208, 2, 3.) postulatur, ut ̣ in ܘܣ deleatur (vel ܢܣ leg.) et ̈ ante ܐ ponatur. — p. 113, 5 infr. pro ܕܥܒ ܕ ܕ melius leg. ܕ ܕ (vers. arm. p. 210, 3 infr. *mut mahû.*). — p. 116, 5—8 verba textus nostri videntur esse perturbata; translator arm. sic legit (vid. vers. arm. p. 213, 24—29.): ܫ (l. 6, 7.) ... (Wr. l. c. l. 5.) ... (l. 5.) ... (l. 6.) ... (l. 7.) ... (l. 8.) ... . — p. 118, 11 pro ܐ leg. ܐ (cf. vers. arm. p. 216, 10.). — p. 119, 16 leg. ܘ (cf. vers. arm. p. 217, 13.). — p. 131, 9 pro ܘ leg. ܘ (vers. arm. p. 230, 8 infr.). — p. 158, 10 post ̣ inserendum est ̈ (cf. vers. arm. p. 256, 12.). — p. 182, 6 pro ܕ leg. ܕ (cf. vers. arm. p. 275, 19.). —

Textus armeniacus, qualis ab Antonello editus est, nonnullis maioribus lacunis est interruptus (vid. Wr. p. 64[b]; p. 104[r]; p. 170[d]; p. 235[f]; 371[l]; 376[w].); innumeris porro locis vocabula ac particulae sententiarum in eo desiderantur, ita ut

sensus locorum illorum non nisi textu syriaco ad supplendas lacunas adhibito intellegi possit. Accedit, quod textus armeniacus plenus est mendorum ac corruptionum; quarum quamquam maxima pars malae manuscriptorum condicioni videtur esse culpae danda, tamen multae editoris incuriae debentur[25]). — Ut igitur et textus corruptionem clarius ostendam et ei qui illo utetur nonnullam praebeam utilitatem, emendationes ad quattuor priores homilias — quas facile augeri posse non nego — hic in medium proferam.

Hom. I. Ant. p. 3, 12 pro յուսով leg. գործով (cf. Wr. p. 6, 13.). — p. 3, 5 sqq. infr. restit.: և իբրև չինի, պսակի. և իբրև վերանայ ամ չինուածն և պսակի և կատարի, ապա .... (Wr. p. 7, 13.). — p. 4, 6 infr. pro կատարեալ ե leg. կարօտեալ ե (Wr. p. 9, l. ult.). — p. 5, 2 infr. pro հաստատուն leg. հաւասար (Wr. p. 10, 5.). — p. 6, 21 sqq. locus corruptissimus tali modo secundum archetypum syriacum (Wr. p. 10, 3 sqq. infr.) restituendus est: post հեթանոսայ (l. 21.) ponend. և (l. 22.) ՚ի վերայ նորա բարձրանայ ամ չինուածն նոցա: եսկ (l. 21.) . . . ., բայց թե (l. 23.) քահանայք . . . i. e. „et super eum (sc. Christum) erigitur omne aedificium eorum (sc. gentilium). Sed qui sunt structores nisi sacerdotes . . . .“ — p. 8, 14 post հօթն ակն ponend. և զի՞նչ իցեն հօթն ակն, որ բացան ..... (l. 16.) հօթն իւղք ՚ի վերայ քրի. i. e. „et quid significant septem oculi qui aperti sunt in lapide, nisi spiritum Dei qui venit et requievit cum septem operibus super Christum“? (Wr. p. 12, 4 sqq. infr.). — p. 11, 3. delend. լուր. —

25) Etiam versione Antonelli latina ei qui linguae syriacae aut armeniacae est imperitus magna cum cautione utendum est; nam paraphrasis in universum magis est quam fida versio, quae nonnullis locis ne sensum quidem archetypi armeniaci reddidit.

Hom. II. p. 23, 14 restituendum est: զի Հեթանոսք յայնմ զաւակի (pro զոր) օրհնեսցին, որ ինքն (pro օրինակն) է (pro ՚ի) Քե: i. e. (promissum est Abrahae fore,) „ut gentes semine illo quod ipse est Christus benedicerentur“. (Wr. p. 26, 11.) — l. 28, 8 infr. pro թողեալ leg. թաքեալ. (Wr. p. 28, 7.) — p. 33, 1 pro ոքոզեայ leg. ախազեայ. (Wr. p. 32, 10.) — p. 34, 16 sqq. Locus ex Jes. 33, 1 citatus qui tam corruptus est, ut Antonellus (p. 34, adn. 2.) eum „ex apocrypho aliquo evangelio vel alio ignoto aut adulterino s. scripturae libro“ depromptum esse censeat, accurate allegatur p. 387, l. ult. — p. 388, 4. — p. 35, 26 pro առաչխարողայ leg. առաչնորհայ. (Wr. p. 35, 9.) — p. 38, 2 infr. leg. եթէ նախանձաւորք իցէք չնորհայն ... (Wr. p. 38, 6.) — p. 40, 12 pro մատոյց leg. Հատոյց. (Wr. p. 40, 1.) — p. 40, 38 pro զմիմեանս leg. զքնամիս. (Wr. p. 40, 7 infr.) — l. 40, 3 infr. post զ յօժարութիւն add. իւր սիրոյն էցոյց i. e. „Et id quod docuit nos salvator noster, quanti existimet ille caritatem, declarat.“ Del. մտայ. (Wr. p. 41, 1.) —

Hom. III. p. 44, 4 del. ոչ. — p. 48, 6 infr. post խաւիանեայ inserend. զօրէնս. (Wr. p. 48, 3.) — p. 56, 1 del. յաւուրս նբս et restituend. դրեալ է յօրէնս նբս. (Wr. p. 53, 14.) — p. 61, 16 leg. որպէս երեմիա մարգարէ ասէ. (Wr. p. 58, 10.) — p. 62, 9 del. էին. — p. 62, 2 infr. pro սրբութ leg. զօրութ. (Wr. 59, 12.) —

Hom. IV. p. 63, 20 pro զզուրան leg. զՀուրան. (Wr. p. 60, 8 infr.) — p. 67, 1 del. ասէ. (Wr. 63, 9.) — p. 67, 2

verba sunt perturbata; post սանդղոցն leg. քանցի 'ի վերոյ Քի՞ տէր է . . . . (l. 2, 3.). (Wr. p. 63, 9, 10.) — p. 68, 1 pro քանզի leg. քանի. (Wr. p. 63, 19.) — p. 68, 16 pro յուխտի leg. յերանս. (Wr. 64, 3.) — p. 69, 9, 10 restituend. 'ի դառնալ իւրում 'ի լաբանայ և 'ի ապրիլ 'ի ձեռաց . . . i. e. (precatus est Jacob) „quum rediret a Laban atque ereptus esset e manu Esau.“ (Wr. p. 64, 8 infr.) — p. 70, 15 post էր նա add. և ա՞ծ էր ընդ նմա: մի՞թէ զի առանձինն էր, ո՛չ եղև լսելի: i. e. (Moses, quum precaretur in monte, solus quidem erat,) „sed Deus erat cum eo. Numquid, quia solus erat, non est exauditus?“ (Wr. p. 70, 7, 8.) — p. 77, 22 post verba: „Quomodo autem loqui possunt homines cum Deo“ add. „nisi precatione ab omni vitio vacua? Sed precatio in qua est vitium non loquitur cum Deo, ut dixit . . .“ (Wr. p. 77, 5 infr.) —

Quum igitur textus noster armeniacus erroribus ac mendis tali modo sit deformatus, magnopere optandum est, ut curis Mechitaristarum quorum de literis armeniacis merita immortalia sunt nova eius editio ad archetypum syriacum potissimum emendata in lucem prodeat. —

III.

Postquam de vita et scriptis Aphraatis adhuc disputatum est, non alienum videtur esse, in locos quos plurimos e sacris scripturis Aphraates affert accuratius inquirere atque investigare, in quantum cognitionem veteris et novi testamenti versionis syriacae quae Peschittha vulgo nuncupatur ii adiuvent. Quum enim tempus quo exarata est versio illa omnium antiquarum fere gravissima obscuritate involutum iaceat eiusque textus imprimis in veteris testamenti libris postero tempore „emendationibus“ valde sit corruptus [1]), locos ex ea a scriptore tam vetusto citatos et emendando textui nostro et origini versionis aliquatenus illustrandae inservire per se apparet. — Attamen magnopere dolendum est, quod aeque ac plurimi veterum patrum etiam Aphraates negligenter egit in citandis utriusque testamenti locis atque e memoria, non secundum textum Peschitthae locos saepissime attulit. „I must say, however,“ inquit suo iure Wright (l. c. pref. p. 16.), „that, like most of the other ancient Fathers, Aphraates seems to me to quote the Pĕshīṭṭā merely from memory, sometimes mistaking the book in which the passage occurs, and, at other times, mixing up the words of two or more passages of Scripture.“ — Quae res quamquam ita se habet, tamen loci ab Aphraate citati haud pauca notatu digna ei offerunt qui diligenter eos examinat. —

Ac primum quidem si locos ab Aphraate e veteris testamenti libris — imprimis e Psalmis, qui omnium accuratissimi sunt — allatos cum textu Peschitthae qualis nunc est compa-

1) Barhebraeus tradidit (Chron. eccl. I, p. 292.), Iacobum Edessenum in monasterio Teledae per novem annos vetus testamentum emendasse!

raveris, eundem in universum textum ac nos legisse Aphraatem congosces. Intellegitur inde, quantae vetustatis sint menda in nominibus quibusdam propriis obvia, velut: ܥܒܪ (p. 481, l. ult.) = עברון (Jud. 12, 13.); ܐܗܘܕ (p. 481, 11.) = אהוד (Jud. 3, 15.); ܝܒܝܢ (p. 256, 2.) = יבין (Jud. 4, 2.); ܢܦܬܚ (p. 481, 18.) = יפתח (Jud. 11, 1.); et contra ܢܡܫܝ (p. 46, 8 infr.) = נמשי (1 Reg. 19, 16.). — Quibus corruptelis adiungendus est locus Prov. 20, 9: ܘܐܡܪ ܠܐ ܐܟܚ (Wr. p. 143, 5.), quem optimo iure Bernstein [2]) ex ܐܡܪ ܠܐ ܐܟܚ vel ܐܡܪ ܐܟܚ corruptum esse existimat. — Etiam quam vetera sint nonnulla additamenta et glossae quae in textu nostro Peschitthae reperiuntur [3]), Aphraates docet; ex. gr. p. 388, 7 ܘܒܚܡܬ ܡܚܫܒܬ ܡܦܫܩ (ܠܐ) (Job. 29, 18.), quae verba non sunt in textu masorethico. — p. 12, l. ult. ܘܠܟܪܡ ܢܣ ܟܟܘܡ ܠܐ ܫܠܠ, quum textus masor. habeat ונחה עליו (Jes. 11, 2.).

Ex his exemplis satis clare apparet, versionem veteris testamenti syriacam iam tempore Aphraatis longam textus historiam quam vocant absolvisse ac sententiam eorum non multum a veritate abesse qui eam magnam partem iam saeculo primo p. Chr. confectam esse dicunt.

Attamen saepissime loci ab Aphraate citati divergentes a textu Peschitthae vulgari cum textu masorethico consentiunt multisque additamentis ac mendis quae in textu nostro inveniuntur carent, cuius rei exempla nonnulla in medium proferam [4]). 1 Mos. 2, 24 Aphraates (p. 354, 10.) vocabulum ܠܐܘܡܐ — quod in textu vulgari invenitur: ܢܒ ܠܐܘܡܐ ܕܡܢܢ ܠܐ — omittit; quum autem etiam in textu masor. non sit, pro glossa postea addita videtur esse habendum. Item additamenta ܠܫܢܐ (5 Mos. 2, 5.) et ܠܐ (1 Reg. 21, 10.) apud Aphraatem (p. 211, 2 infr. et p. 47, 4.) non exstant. —

---

2) In annal. Zeitschr. der D. M. G. III, p. 393.

3) Uberius de iis disputavit I. Perles, Meletemata Peschitthoniana. Vratisl. 1859. p. 8 sqq.

4) Textu Peschitthae a Samuele Lee (Tom. I. V. T. Lond. 1823. Tom. II. N. T. ibid. 1826.) edito usus sum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000039

1 Mos. 49, 10 Aphraates verbis ܕܝܠܗ ܘܠܡ ܕܝ — quibus interpretationem Onkelosi secutus [5]) translator vocabulum archetypi שילה vertit — addit ܕܡܫܝܚܐ (p. 320, 3 infr.; p. 374, 8.); quum autem verba, ut nunc exstant, non nisi adhibita versione Onkelosi intellegi possint, dubium esse vix postet, quin vocabulum illud ܕܡܫܝܚܐ etiam in vetere textu Peschitthae fuerit, sed postea incuria librariorum sit omissum. — 5 Mos. 17, 7 pro ܢܥܒܕ Aphraates (p. 47, 12.) habet ܢܩܛܠ consentiens cum textu masor.; ܢܥܒܕ videtur esse corruptum ex ܢܩܛܠ. — Jes 2, 3 ܡܢ ܒܝܬ ܐܠܗܐ corruptum ex ܡܢ ܒܝܬ ܐܠܗܐ quod Aphraates (p. 321, 2; p. 364, 16. cf. Micha, 4, 2.) consentiens cum tex. masor. exhibet. — Jes. 14, 13 pro ܐܥܠܐ Aphraates (p. 81, 14.) recte habet ܐܣܩ; Ez. 16, 55 ܢܫܒ (p. 396, 1.) pro ܢܫܒ. — Jonas 3, 7 cum Aphraate (p. 49, 21.) pro ܘܢܙܥܘ ܘܢܙܥܘ legendum est ܘܢܙܥܘ ܢܙܥ. Mendum textus nostri inde certe est exortum, quod scriba quidam coniunctionem ܘ verbi ܢܙܥܘ cum verbo praecedente ܢܙܥ legendo coniunxit ac tum formam verbi ܢܙܥܘ cum ܘܢܙܥ congruentem fecit. — Nah. 2, 14 verbum ܘܢܒܥ corruptum est ex ܘܢܒܥ, ut Aphraates (p. 365, 5.) docet. — Malach. 2, 7 pro ܢܒܩ Aphraates ܢܒܥ (p. 432, 15.) consentiens cum tex. masor. exhibet. —

Iam si de locis e novi testamenti libris petitis quaeritur, longe eos a textu nostro vulgari saepissime discedere facile sibi quisque persuadere poterit. Quae digressiones, quamquam magnam partem tales sunt, ut e consuetudine scriptoris memoriter locos allegandi eas esse exortas nullo negotio intellegatur, tamen non raro alia textus recensione ac nostra est Aphraatem usum esse clare docent. Nam loci e quattuor Evangeliis allati accurate saepius conveniunt cum textu syriaco Evangeliorum pervetusto quem e manuscriptis a. 1842 e coenobio Mariae Deiparae syriaco in Britanniam advectis Guilelmus Cureton edidit [6]).

---

5) Vid. J. M. Schönfelder, Onkelos und Peschittho. Studien über das Alter des Onkelos'schen Targums. München 1869. p. 13.

6) Remains of a very ancient recension of the four Gospels in Syriac, hitherto unknown in Europe; discovered, edited, and translated by William Cureton. London 1858. — Fragmenta hac editione publicata sunt: Matth. I, 1 — VIII, 22; X, 32 — XXIII,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000040

Ut igitur innumerabiles locos quibus Aphraates in vocabulorum positione atque ordine, in temporum usu ct. a Peschittha discedens cum versione illa consentit, ne longus sim, omittam, nonnulla tantum exempla quae gravioris momenti videntur esse hic afferam. Matth. 2, 20 verbis ܙܝܢ ܘܠܟ ܠܐܪܥܐ ab Aphraate (p. 405, 18.) aeque atque in versione illa vetusta additur: ܕܡܝܬ, quod verbum neque in ullo codice graeco neque in textu Peschitthae vulgari exstat. — Matth. 6, 19 Aphraates (p. 389, 15.) exhibet ܠܐ ܬܬܟܢܫ ܠܟܘܢ ܒܐܪܥܐ — quae lectio nullius codicis graeci testimonio firmatur — verbotenus consentiens cum versione Curet., quum Peschittha, ut textus receptus qui vocatur, ܠܐ ܬܬܟܢܫ ܠܟܘܢ ܒܐܪܥܐ habeat. — Matth. 18, 10 Aphraates (p. 127, 12.) post verba: ܕܐܡܪ ܠܟܘܢ ܕܠܐ addit: ܕܒܫܡܝܐ ܐܝܬ[7] — ut codd. D b c — quae verba in textu nostro Peschitthae non leguntur. — Joh. 1, 14 Aphraates (p. 167, 8.) habet: ܘܚܙܝܢ ܗܘ ܠܢ ܘܐܝܟ ܕܒܪ ܝܚܝܕ ܡܢ ܐܒܘܗܝ — item vers. Curet.; Pesch.: ܐ et ܚܙܝܢ. — Luc. 3, 5 Aphraates (p. 331, 1.) verbis ܘܬܬܒܪܝ ܟܠ ܒܣܪ ܝܫܘܥ addit ܘܬܬܓܠܐ ܟܠ ܒܣܪ (cf. Jes. 40, 5.); item vers. Curet.; sed in Pesch. et in textu graeco haec verba non sunt. — Luc. 19, 44 Aphraates (p. 412, 17.) non aliter ac vers. Curet. scribit ܘܢܚܪܒܘܢ ܠܟ ܘܠܐ ܢܫܒܩܘܢ ܒܟ ܐܒܢ ܥܠ ܐܒܢ; Pesch. ܘܕܠ ܢܬܦܪܩܘܢ ܒܟ ܐܒܢ ܥܠ ܐܒܢ.

Ex his exemplis satis perspicuum est, exemplar novi testamenti versionis syriacae quo Aphraates usus est propinquam habuisse cognationem cum vetustissima illa Evangeliorum interpretatione; attamen non fuisse prorsus idem cum interpretatione illa, docent loci nonnulli qui a textu eius discrepantes

---

25. Marc. XVI, 17—20. Joh. I, 4—42; III, 6 — VII, 37. (XIV, 10—12; 16—19; 21—23; 26—29.). Luc. II, 48 — III, 16; VII, 33 — XV, 21; XVII, 24 — XXIV, 44. — Paucas alias eiusdem recensionis reliquias (Luc. XV, 22 — XVI, 12; XVII, 1 — 23. Joh. VII, 38—52; VIII, 12—19.) postea Aemil. Roediger reperit et in annal. Monatsberichte der koenigl. preuss. Akademie der Wissenschaften. Berlin 1872. p. 558 sqq. publici iuris fecit.

7) Hic locus eodem additamento auctus legitur in *Didascalia Apostolorum syriace.* Lipsiae 1854. p. 21, l. 19.

cum versione syriaca vulgari ac textu recepto consentiunt. Ex. gr. Matth. 14, 31 Aphraates (p. 21, 13.): ܙܥܘܪ ܗܝܡܢܘܬܐ = ὀλιγόπιστε; item Pesch.; sed a versionis Curet. auctore vocabulum illud graecum ubique: ܗܝܡܢܘܬܐ ܙܥܘܪ versum est (cf. Matth. 6, 30; 16, 8. Luc. 12, 28.). — Luc. 3, 6 Aphraates (p. 331, 1, 2.) consentiens cum Pesch. et tex. graec. habet ܢܣܝܢ ܠܟ ܚܙܐ ܫܘܬܐ ܕܐܠܗܐ, quum in vers. Curet. ܢܣܝܢ ܠܟ ܚܙܐ ܫܘܬܐ ܕܐܠܗܐ reperiatur. — Luc. 15, 8 Aphraates (p. 14, 4 infr.): ܡܫܟܚ ܠܗ, ut Pesch. et tex. graec.; vers. Curet: ܐܫܟܚ ܠܗ. — Cf. etiam Luc. 20, 35, 36 (p. 429.).

Quum igitur versio illa a Curetono edita — sicut Hermansen textu eius accuratissime examinato existimat[8]) — medio saeculo secundo sit confecta atque ex ea adhibito emendandi causa textu graeco versio vulgaris postea exorta[9]), exemplar Aphraatis medium quendam locum inter duas illas versiones obtinet et docet, antiquissimam versionem syriacam liberam ac solutam non semel, sed paulatim ad archetypum graecum emendatam esse ac nostro textui plures recensiones a textu graeco plus minusve discrepantes antecessisse.

Sed non solum loci ex Evangeliis, verum etiam ex aliis novi testamenti scriptis allegati saepe a textu syriaco vulgari valde abhorrent ac recensionem a nostra diversam indicant.

---

8) Disputatio de codice Evangeliorum syriaco, a Curetono typis descripto. Hauniae 1859. — „Si quaeritur“, inquit Hermansen p. 24, 25, „de aetate interpretationis nostrae, non talia indicia, quibus ea accurate definiri possit, adesse fatendum est. Quum autem interpretatio syriaca vulgaris, quae iam ante medium saeculum quartum, ut e libris Ephraemi constat, in Syria publicam auctoritatem ecclesiasticam nacta est, haud facile serius quam in fine secundi vel initio tertii saeculi orta esse possit, sequitur, ut nostra interpretatio, si vere pro fonte illius habenda sit, saltem ad medium saeculum secundum referri debeat.“

9) „Retinuit vulgaris interpretationis auctor ex nostra omnia ea, quae vel emendatione non egebant vel emendari omnino non poterant; quae parum accurate reddita erant, pro meliore sua linguae graecae intelligentia correxit, ordinem vocabulorum ad normam graecam revocavit, lectiones variantes secundum codices suos graecos excepit. Quae omnia ita perfecit, ut sermonis elegantiae et linguae syriacae puritati optime consuleret.“ (Hermansen, l. c. p. 24.).

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000042

Ex. gr. 1 Cor. 15, 51 Aphraates (p. 156, 14, 15; p. 169, 5.): ܠܐ ܢܢܡ ܐܠܐ ܟܠܗܝܢ. ܒܗܘ ܒܪܝܫ ܢܢܡ — item vers. nov. test. armen. et multi codd. graec. —; sed in Pesch. (ut in text. recept.) legitur: ܟܠܗܝܢ ܢܢܡ ܐܠܐ ܒܗ ܒܪܝܫ. ܒܗܘ ܒܪܝܫ ܟܠ. — 1 Cor. 7, 26 Aphr. (p. 355, 13, 14.): ܕܐܝܬ ܠܗ ܥܡ ܐܢܝܩܬܐ = *διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην*; Pesch. ܕܐܝܬ ܠܗ. — Gal. 5, 12 Aphr. (p. 215, 8.): ܕܡܬܩܛܥܝܢ ܡܢ ܒܝܢ ܐܢܘܢ ܕܡܬܓܙܪܝܢ — ut omnes codd. gr.; Pesch. ܕܡܬܓܙܪܝܢ ܡܢ ܒܝܢ ܐܢܘܢ.

Temporis sui morem secutus Aphraates in descriptionibus temporum multum operae consumpsit[10]). Quae res eam ob causam aliquid momenti habet, quia numeri ab eo allati accuratissime cum Peschittha consentiunt itaque textum nostrum

---

10) Numeri ipsi, quamquam in universum incorrupti sunt, uno loco homil. XXI „de persecutione“ (p. 398.) magnam partem sunt mutilati. Quum igitur versio huius homiliae armeniaca quae ad emendandum textum syriacum adhiberi possit nobis non sit tradita, et ad numeros ab Aphraate aliis locis allatos et ad Peschittham est refugiendum. Et his quidem praesidiis adiutus numeros illos alio modo ac vult Wright esse reficiendos existimo. — Primum igitur l. c. l. 5 post ܡܐܬܝܢ non addendum ܘܚܡܫ, sed pro ܡܐܬܝܢ esse restituendum mihi videtur ܫܢܝܢ ܣܓܝܐܝܢ ܡܐܬ. Dicit enim Aphraates (p. 27, 12 sqq.), servitutem Israelitarum aegyptiacam praenunciatam esse (1 Mos. 15, 13.) ducentis quinque annis ante quam Iacob immigrasset in Aegyptum et quindecim annis ante quam natus esset Isaac; unde liquet, a promissione nativitatis Isaaci usque ad migrationem Iacobi in Aegyptum centum nonaginta unum annos praeteriisse. Quam rationem probat Aphraates ipse dicens (p. 206, 15 sqq.), servatam esse circumcisionem ab Isaaco usque ad migrationem Iacobi in Aegyptum per centum nonaginta annos. — Porro l. 5, 6 inter ܡܐܬܝܢ et ܫܒܥ ponendum est ܬܫܥ quem numerum scriptor multis aliis locis praebet (ex. gr. p. 26, 17; p. 206, 18; p. 480, 21.). Quam ob rem l. 7 pro ܫܓܝܐܝܢ non, ut visum est Wrightio, ܣܓܝ, sed ܫܒܥܝܢ legendum est. Numerus denique l. 10 ܐܠܦ ܘܬܫܥ ܡܐܬ integer est. Dicit enim Aphraates diserte (p. 357, 9, 10.), Israelitas in terra quae ipsis erat promissa usque ad aedificationem templi Salomonici habitasse quadringentos quadraginta annos et (l. c. l. 7.) per quadraginta annos in desertis esse commoratos (cf. 1 Reg. 6, 1.). Itaque tota numerorum summa est octingenti nonaginta sex anni (191 + 225 = 416 + 440 + 40 = 896.).

Peschitthae confirmant [11]). Uno tantum loco scriptor ab ea discedens cum textu hebraico convenit. Terach enim septuaginta annos natum dicit Abraham genuisse (p. 479, 12.) — quum in Pesch. septuaginta quinque anni legantur (1 Mos. 11, 26.) — sive quod exemplar eius hunc habuit numerum, sive quod ipse hac in re Iudaeos secutus est (cf. supr. p. 11[6].). —

Quod denique ad canona attinet, Aphraati libri veteris testamenti protocanonici non dubie omnes noti erant, quamquam e paucis eorum (ex. c. e libr. Ruth, Cant. cant.) locos in medium non profert. E numero librorum deuterocanonicorum qui vocantur Maccabaeorum librum primum et secundum cognitum habuit (vid. p. 95, 7 sqq.; ibid. l. 3 infr. sqq.; p. 242, 10 sqq.; p. 417, 1 sqq.). — E novi vero testamenti scriptis Aphraates non affert secundam epistolam Petri, secundam et tertiam epist. Iohannis, epist. Iudae, Apocalypsin. Sed satis constat, haec scripta in antiquissima novi testamenti versione syriaca non fuisse atque in primaeva ecclesia Syriae in ea scripta esse reposita quae Eusebius (Hist. eccl. 3, 25.) *ἀντιλεγόμενα* vocat. — Ut autem apud multos veteres scriptores ecclesiasticos, ita etiam in scriptis Aphraatis leguntur loci nonnulli qui neque in veteris neque in novi testamenti libris reperiuntur. Inter tales locos hi videntur esse referendi [12]): „Nolite haesitare (sc. de fide), ne in mundo mergamini“ (p. 21, 17.) — „Os stulti parat ei laqueum“ (p. 447, 9. cf. etiam l. c. l. 8.) — „Non recedit iustus ab oculis Dei nec vacuus est mundus a probis“ (p. 455, 13, 14.) — Petita videntur haec dicta e scriptis apocryphis quae tempore quo vixit Aphraates toto oriente pervulgata aequa fere ac scripta canonica floruerunt auctoritate. —

---

11) Textus mendo certe attribuendum est, si p. 482, 3 infr. Amasias viginti tres annos regnasse dicitur, quum et tex masor. et Pesch. (2 Reg. 14, 2. 2 Chron. 25, 1.) viginti novem annos habeant; pro ܫܠܫ leg. ܬܫܥ. —

12) Locus p. 33, 6 sqq. infr. citatus legitur ap. Ies. 33, 1. Antonellum eam ob causam „prorsus latuit, unde s. Iacobus haec sumpsisset“, quia textus armeniacus huius loci nimium est corruptus. — Locus p. 79, l. ult. allegatus legitur ap. Luc. 16, 15, non in Prov. 16, 5. —

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000044

Vita.

Natus sum Carolus Iosephus Franciscus Sasse fidei catholicae addictus Rheinae Guestfalorum a. 1855 Idibus Martiis patre Christophoro Sasse, mercatore, matre Theresia Laporterie. Primis literarum elementis in schola urbis patriae imbutus gymnasium quod ibidem floret adii. Hinc auctumno a. 1874 maturitatis testimonio instructus ad academiam regiam Monasteriensem me contuli, studiis philosophicis operam navaturus. Qua academia per semestre frequentata tria semestria (1875—1876) in alma universitate literaria Bonnensi et duo semestria (1876/77—1877) in alma literarum universitate Lipsiensi praecipue in ediscendas linguas semiticas incubui. Quibus in studiis praeceptores habui VV. Ill. Franc. Delitzsch, Fried. Delitzsch, H. O. Fleischer, I. Gildemeister, Lud. Krehl, O. Loth, Eug. Prym, quorum virorum optime de me meritorum memoria semper meis erit infixa mentibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000045

D: Dc 1650

ULB Halle
3/1
000 886 181

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-26220/fragment/page=00000049